



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-756157-p0001-2

DFG



12

DE  
LINGVA GERMANICA  
RECENTIORVM PHILOSOPHIAM TRACTANDI  
STVDIIS HAVD PARVM CULTA

---

DISSERTATIO HISTORICO PHILOSOPHICA  
PARS POSTERIOR  
QVAM  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS AVCTORITATE  
A. D. XXVI. IVN. A. R. S. CICLOCLXXXIX

HORIS POMERIDIANIS

DEFENDENT

PRAESES

IOANNES GEORGIVS CAROLVS  
KLOTZSCH

AA. LL. M.

ET

RESPONDENS

IOANNES FRIDERICVS VILELMVS TISCHER

AA. LL. M.

---

WITTEBERGAE  
LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIT.

LINGUA GERMANICA  
RECENTIORUM PHILOSOPHUM TRADICATIO  
STUDIIS HABENDI PARVUM CAVTA

DISSESSATIO HISTORICO PHILOSOPHICO  
PARS POSTERIOR

AMPLISSIMA PHILOSOPHORVM ORBIS ACCESSIONATE  
A.D. XXXVII IN A.R. 1510. CLXXXIX  
HERIS FORMIDABILIS

PRAESES  
IONNES GEORGIA'S CAROLAS  
KLOTHSCH

IONNES LUDERICUS ALFREDVS TIECHINUS  
CLXXXIX

MITTERRAND  
TITULUS CAROLI CHRISTIANI MELLINI  
TITULUS CAROLI CHRISTIANI MELLINI

## §. VI.

**Q**uae hactenus commemorauimus studia philosophorum, in elaborandis et tradendis germanice disciplinis suis, ea proprie quidem non nisi argumenti loco illustrare voluimus, quo possit evinci, traxisse inde linguam vernacularum colorem quandam philosophicum, qui conspicuus sit maxime in exprimendis conuenienter ac definite notionibus generalibus sive abstractis. Vtique enim solent philosophi linguam, qua scribunt atque differunt, in commodum suum vertere, et transferre illam ad dicendi genus sibi proprium, quod tamen plerisque, in semina breuitate paullo obscurius, in subtilitate nimis aridum et graue esse videatur. Quamuis autem vel haec est linguae aliqua perfectio, qua apta redditur illa ad significandas rerum, a sensibus remotissimarum, notiones subtiliores; apparet tamen, hanc nequaquam complecti reliquas virtutes omnes, quae in lingua aliquam bene cultam cadere possint, ac debeant. Potius debet illa, vt exemplis quibusdam vtamur, insuper etiam ad elegantiam quandam conformari, et facilis reddi ad exprimendos sensus animi pariter ac depingendas rerum imagines, vt canora et suavis sit, ac numerose etiam cadat oratio, et, quae sunt aliae eius generis virtutes, quibus parum student ii, quorum opera proprie quidem tantum versatur in proponenda simpliciter ac nude demonstranda veritate alicuius rei, quas vero rectius ab his sperare licet atque exigere, qui verborum vi persuadere aliis, et ipsorum animos commouere cipiunt. Atque illis quidem, nempe oratoribus et poetis, in hac causa sane plurimum tribendum est, si specias in variuersum perfectionem eam, ad quam accesserit lingua nostra vernacula, in qua adornanda et polienda permultum laborauit aetatis nostrae elegantiioris studium. Neque vero etiam prorsus aliena fuit haec cura a recentioris philosophiae consilio, in coniungendis, cum doctrina certiori, elegantiorum litterarum studiis, quo factum est, vt ipsius non esset idem tristis atque inconditus vultus scholasticus, quem habuit olim, et quem adeo necessarium illi patuisse quidam videntur, sed prodierat



ret illa etiam inter Germanos interdum forma elegantiori, et cultu quodam decoro ornata. Quae ratio nobis quidem non plane negligenda esse videtur. Docet enim, modum philosophandi apud nostrates, non esse eum, ex quo lingua germanica plus detrimenti, quam commodi capere potuisse, quemadmodum v. c. factum est in Latinitate medii aevi. Iam vero a philosophis nostris solet exigiri non tantum iudicium veri, sed etiam sensus quidam pulchri, non affectati. Itaque, si quis est linguae nostrae vernaculae cultus, ab elegantiorum litterarum studiis et tractatione profectus, eius accelerandi non plane expertes dixerim philosophos nostros, qui scilicet illas non tantum commendarunt aliis, sed ipsarum etiam, in proponenda doctrina accuratiori rationem habuerunt.

Sed omnium primum de eo quaeratur, utrum, et quatenus philosophia cum elegantioris doctrinæ studio coniungi possit ac debeat. Solent enim alii nimium, alii autem iusto minus tribuere in hac causa licentiae philosophorum. Apud veteres quidem, vii inter omnes constat, philosophia complectebatur fere omnium artium et disciplinarum studia. Quaré in illa locuſ dabatur etiam præceptio artis rhetoricae et poeticae. Media aetate fere omnis elegantiae expers illa reperiebatur. Nostrates iam rectius quodammodo constituisse videntur fines communes inter doctrinam subtiliorem elegantiorēque. Apparet enim, petendas esse primo a philosophis notiones certas et definitas partim eorum vocabulorum, quorum frequens est usus in disciplinis politioribus, partim etiam rerum ipsarum, quas illae tractant. Quare necesse est, ut eruant atque constiuant philosophi significacionem eius, quod sit pulchrum, graue, venuſum, incundum, sublime atque alia generis eiusdem, et, quae his contraria sint vitia. Quo leuiora enim interdum sunt earum vocum discrimina, eo magis verlati debent in enucleandis, ac recte firmandis ipsarum notionibus philosophorum subtilitas, vt sciāt omnes, quibus virtutibus aut vitiis operum, quae ab elegantiori doctrina proficiuntur, exprimendis, illae optime conueniant. Tum vero debent idem accuratius inquire etiam in naturam et indolem rei ipsius, quo possint notae propriae vniuersiusque colligi atque constitui, quibus agnoscantur et inter se distinguantur variae virtutes, quae competere debeant operibus poetarum atque

atque oratorum; et, quae vel res cogitatas ipsas, vel earundem elocutionem aptam atque ornataam spectent. Quodsi vel ab hac parte intercedit philosophis consuetudo quaedam cum litteris ad humanitatem pertinentibus, quae ducitur ab argumento ipsarum, et cernitur maxime in consituendis atque iudicandis variis pulchritudinis generibus, seruare student atque alunt illam *deinde*, opera sua collocanda in indagandis animi humani facultatibus iis, quibus in hac causa maxime opus est. Mouent igitur questio[n]es circa ingenii vim illam praecipuam, qua carere non possint, qui operibus suis veras elegantiae virtutes conciliare velint. Neque enim in hac causa sufficit ingenii acumen et iudicandi facultas exigua, qua partes singulae alicuius rei discerni atque distincte cogitari possint. Sed valet in litteris elegantioribus tractandis sensuum quoque vis atque celeritas. Quare bene distingendum esse docent philosophi inter iudicium, quod rationibus nitatur, quarum distinctam habeamus cognitionem, atque illud, quod a sensu veri, boni et pulchri paullo obscuriori proficiuntur. Vtramque tamen vim ingenii poetis atque oratoribus maxime necessariam esse, docent vel e consilio vtriusque artis, vel e rerum tractandarum modo, illis tenendo. Accedat igitur iudicium de *consilio* et utilitate artium liberalium ferendum. Illud autem cernitur in excitandis animi sensibus, et commouenda aliorem hominum voluntate, ad amplectendam et sequendam sententiam nostram. Vnde paritur elegantiorum litterarum insignis utilitas, quibus efficitur, ut non intelligent tantum mentem auctoris, sed toto animi consensu etiam probent consilium ipsius omnes, neque videant modo, quid in re quauis verum, bonum et pulchrum sit, sed amore et studio suo illud etiam prosequantur. Ostendendum igitur est philosophis e natura mentis humanae, qua ratione oratores et poetae hunc finem optime possint consequi, et, in quo argumento tractando, ad mores hominum emendandos, maximo cum fructu versati debeat ipsorum opera. Sunt *praeterea* alias questio[n]es, quae hoc spectent, eaque a philosophis non plane omitendas v. c. vtrum tanta ingenii vis, quae in bonis poetis atque oratoribus requiritur, a sola nature proficiuntur, an possit illa acquireti etiam institutione et disciplina. Inde vero orta sunt praecpta philosophorum de excitandis, colendis et exercendis animi facultatibus illis, quibus in hoc genere doctrinae maxime opus est. Illa igitur vel maxime spectant litterarum elegantiorum studium, quod in hoc conatu suscipiendo a philosophis vehementer commendari



mendari solet. Nam, cum sensus pulchri eius, quem nostrates vocant gustum, tanta sit vis, ut ex eius cultu pendeat morum comitas et suauitas, multarum praeterea virtutum, quae in facilitate, celeritate et vigore sensuum rationem habent, amor et studium, docere debent philosophi in praceptoribus morum tradendis, qua ratione acui debeat ille sensus pulchri atque exerceri in animaduertenda vera rerum pulchritudine, et discernenda illa a speciosa vitorum forma. Tandem vero, in hac causa agenda, ipsi philosophi vident, cognitionem veri subtilissimam atque doctissimam parum utilitatis habere, nisi illius participes fieri possint quodammodo etiam maior pars hominum indoctorum, et ad rationes pro veritate doctrinae certissimas accedant quoque argumenta, quae id efficiant, ut voluntatem etiam moueat, placeat, et ad emolliendos atque corrigendos aliorum mores valeat veri demonstratio. Neque autem verendum est, ne ille modus tradendae philosophiae, quo doctores ipsius rationem habent etiam utilitatis, ex institutione maioris partis hominum capienda, sibique conciliare student voluntatem omnium, noceat atque officiat subtilitati et veritati, quae conspicua esse debet in excogitandis atque demonstrandis philosophorum placitis. Tali enim modo excusare tantum volunt homines scholastici quaeſtiunculas suas inutiles. Immo vero, tum demum fore, putamus, ut philosophia perfectissima et omnibus numeris absoluta sit, cum propositiones philosophicae hanc vim habent, ut cogant non tantum intellectum humanum, ut illas pro veris habeat, sed perspicuitate pariter atque gratia simplicis coloris in dicendi genere allicant etiam et commoueant animos omnium, ad amplectenda quae inde sequuntur, optima consilia.<sup>y)</sup> Hac ratione igitur, putamus, coniungi posse in uniuersum, non sine fructu, philosophiam cum studio elegantiorum litterarum. Iam videamus, quantum in hac causa philosophi nostri effecerint, ita tamen, ut linguae vernaculae, hac philosophiam tractandi ratione cultae, simul rationem habeamus.

§. VIII.

<sup>y)</sup> Pluribus v. über den guten Geschmack in der Philosophie, eine Abhandlung von Hirschfeld. Lübeck 1770.

§. VIII.

Quam igitur diximus coniunctionem philosophiae cum artium libera-  
lium studio, eam nostrates firmarunt *primo* quidem, addenda doctrinis  
caeteris peculiari disciplina, quae tota versaretur in indaganda et explican-  
da vi illa sentiendi et iudicandi pulchri, quae inest in animo humano.  
Quamvis enim illa indeoles mentis humanae, quae cernitur sensu pulchri,  
nec incognita fuit philosophis superioris aetatis, neque etiam plane negle-  
cta ab his, qui commouendi per excitationem sensuum, animum huma-  
num, praecpta darent, tamen ante Baumgartenii tempora minus operae  
tribuerunt philosophi inueniendis et consiliuendis rationibus iis, e quibus  
deducenda essent eius generis praecpta. Ipse vero postquam in formam  
disciplinae redigere conatus est Aestheticam, effectit, ut iam proprius ad se  
pertinere putarent philosophi quaestiones de vi et natura sensuum, leuius  
antea, ac velut aliud agendo, in Psychologia tractatas. Quare ipsi inde  
ad hoc tempore accuratius inquisuerunt in naturam pulchritudinis, et, quae  
ipsi contraria est, deformitatis; vtriusque vim autem, quam habent, ad  
animum humanum commouendum, definire atque explicare sunt ausi;  
docuerunt deinde, quomodo sensus animi humani possint excitari, nutriti,  
exerceri et coli, et, quoniam in hac causa artes liberales maxime vim suam  
exferunt, illarum studia commendarunt omnibus, qui in eo cum fructu  
versari vellent, vt cognitione veri non tantum imbuarent homines, sed ad  
sequenda etiam consilia sua, verbis et argumentis illos compellerent. Quo  
factum esse dicimus, vt, quae antea a plerisque philosophis contemni fo-  
lebant, elegantiorum literaturam amor conciliaretur etiam philosophiae, et  
ipsa quodammodo cum illis coniungeretur. Sed, quem diligenter exacue-  
re liberalium artium studiis docent philosophi nostri, sensum boni et pul-  
chri, ad eum *deinde* ipsi etiam respexerunt in tradenda philosophia, ita  
quidem, vt, quae est temporum nostrorum ratio, ab illis iam non tan-  
tum peteretur nuda et arida veri demonstratio, sed exigetur etiam dile-  
ctus quidam verborum pariter ac rerum proponendarum. Vterque autem  
habendus est ex iudicio boni et pulchri, quod in iudicanda et demonstran-  
da veritate vitare non solum docet ea via, quibus saepe laborat doctorum  
scholasticorum nimia subtilitas, et sedula, in nouis argumentis excogitan-  
dis opera, sed insuper etiam philosophico dictiōnis generi, maxime in  
quaestionebus eius argumenti proponendis, quod petūm est e doctrina  
morum



morum, conciliare studet formam quandam liberalem, quae conspicua sit in verborum atque argumentorum vi facilius intelligenda et sentienda. Etenim in nimia subtilitate solent sere semper argutari verborum discrimenibus altius repetitis atque circumagi uno eodemque definitionum et distinctionum orbe philosophi iij, qui scholis tantum operam dari volunt, atque excogitari et promi semper profundorem scilicet et incognitam caeteris omnibus sapientiam, quaerentes institutionis philosophicae consilium in celeritate, demonfrandi cuncta, quae aliquid veri in se contineant, neque vero cogitantes, quid et quantum siue utilitatis siue detrimenti inde capere poslit maior pars generis humani; modo ipsi speciem doctrinae interioris quodammodo atque sublimioris prae se ferant. Hoc autem recentioris aetatis philosophi, duce iam pridem et auctore *Wolfo*, bene cognouerunt. Plerique enim non cupidi eruditioris altius repetitae, purgarunt potius philosophiam ab innumeris questionibus inutilibus, quibus refertos esse viderunt libros doctorum scholasticorum superioris aevi, atque ostenderunt etiam, non circumscribi debere doctrinam certiore compendiorum et systematum finibus, sed latissimum patre philosophiae campum, et peti posse insigne aliquod ipsius argumentum vel ex omni rerum gestarum memoria, quod videre licet ab exemplis eorum, qui in genere historico egregie philosophati sunt v. c. *Iselinus et Herderus.*<sup>2)</sup> Est igitur aetatis nostrae haec ratio, ut philosophi nec contemnant elegantioris doctrinae studium, nec in aridissimo dicendi genere sibi ipsi ac siue profundiore scientiae satisfecisse putent, sed rationem habeant etiam caeterorum, et quaerant, quomodo in utilitatem aliorum vertenda sit, et, qua ratione vim suam exferre in animo humano, voluntatemque mouere possit cognitioni veri, quam sibi solis arrogare visi sunt, qui scholis tantummodo apriendos esse fontes cognitionis humanae putarent, caeteros autem homines terminis barbaris et sapientia inutili proponenda arcere solent a literarum studiis.<sup>aa)</sup> Quare etiam scriptores nostri philosophiam non semper

pallio

<sup>2)</sup> Quisque videt, h. l. innui *Iselins Geschichte der Menschheit et Herders Ideen zu einer Geschichte der Menschheit.* Potest etiam hoc referri *Zimmermann über die Einsamkeit.*

<sup>aa)</sup> cf. locus notabilis, qui exstat in *der neuen Bibliothek der schönen Wissenschaften und freyen Künste.* 5ten Bandes 2tes Stück. S. 241 ff.

pallio scholastico vestitam, atque munitam syllogisnorum artificiis subtilioribus, in publicum emiserunt, (quae ratio valet quidem in scholis, vbi tradendae sunt accurate, tenuiter, breuiter, disciplinae philosophicae ad exerceendam ingenii vim, et instituendos homines doctos,) sed, vt supra diximus, accommodarunt proponendi modum et orationis genus interdum etiam captui hominum indoctorum,<sup>b)</sup> addenda vberiori demonstrationis explicacione, illustratione ab exemplis, et rerum similium, quae in sensu cadunt, comparatione, adeoque ipsa forma ab elegantioribus literis peuta, induerunt doctrinas suas et ornarunt. Huc referendos esse iudicamus dialogos, epistolas, carmina eius generis, in quibus praecipuum auctoris consilium spectat ad tradendam, illustrandam et demonstrandam veritatem alicuius rei propositae. Etenim quod quidem ad dialogos attinet, Sulzerus censet,<sup>c)</sup> hoc genus orationis in caeteris omnibus aptissimum esse ad proponendas in summa simplicitate et perspicuitate res grauiissimas, propterea illud philosophis valde commendat. Addit,<sup>d)</sup> esse rem magnae utilitatis pariter ac difficultatis, fingere dialogos, quibus disseratur de rebus argumenti paullo grauioribus, arque ita illos proponere, vt aperiantur simul et illustrentur mentis humanae interiores recessus, quibus condoleant fallacie atque errores, in modo cogitandi et argumentandi commissi. Nos de epistolis fere idem dici posse, iudicamus. Nam in vtroque genere, quae vera sunt, ita proponuntur, vt, quamvis oratio nec dissertationis philosophicae subtiliter elaboratae, speciem prae se ferat, nec, excitandis affectibus, iudicium rationis praecipitare atque eludere debeat, paulo accuratius tamen definitur rei propositae argumentum, cum rationibus,

bb) Cuius generis exempla proponerunt Abbt., Gellert, Engel, Mäyer, Zimmermann a. a. Neque vero defendimus effrenatam hominum semidestorum audaciam, qui populariter sibi videntur philosophari, si profsam orationem ac versam committant, impropias voces et figurae patheticas profundent, et omnium operum solam virtutem sententias putant. Cuiusmodi ~~zono~~<sup>zono</sup> saniors omnium temporum iudices minus ferendum putarunt, accuratori doctrinae pariter ac naturali pulchritudini inimicum. v. KÄSTNERVS über den Vortrag gelehrter Kenntnisse in der deutschen Sprache. S. 7.

cc) v. *Allg. Theorie der schönen Künste* in *voce Gespräch. Th. I.*, S. 324 ff.

*dd)* l. c. p. 327.

quae in illo cogitari debeant. Solent enim vel in rebus, quae alias mituntur, et levioris momenti esse videntur, diutius commorari, qui inter se colloquuntur, et argumentis ab utraque parte proponendis, accuratius rem ponderare, quam id fieri posse in oratione directa. Quare datur etiam in utrisque vberiori illustrationi atque explicationi locus, quae pertenda etiam est interdum a consilio, ab animo et moribus eius, qui sermonem facit. Nam, quoniam epistolis cum dialogis haec ratio communis est, vt orationis genus, quod inter illos obtinet, accedat interdum ad sermonem familiaris consuetudinis, et prodat intimos animi sensus, potest etiam in utroque genere animaduertiri singularis modus cogitandi et argumentandi, quem plerique sequi solent, et quo vel in errore abducuntur, vel ad veri cognitionem feruntur. Quae igitur exempla eius generis existimia proposuerunt iam inter veteres Plato, Xenophon, Cicero, ea egregio modo imitati sunt in multis aliis recentiorum philosophorum Mendelsohnii, Sulzerii, Garuini, Eberhardi, Campi.<sup>ee)</sup> Neque vero non decet philosophiam interdum vestimentum quoddam coloris poetici, quem admodum veterum exempla in Hesiodo, maxime autem in *Lucrecio* probant. Nam, quae sibi primo adspicu maximè contraria esse videntur, philosophorum subtilitas et orationis poeticae vigor, ea cum fructu inter se eximie jungi posse, videlicet in eiusmodi carminibus, quibus doctrinae, et philosophia petiae ad insituentos alios ita traduntur, vt nec subtilitas argumenti, nec ordo philosophicus et connexa orationis demonstratio ornatus poetico aliiquid detrahant. Sunt autem inter recentiores Germanos satis multi, in quorum operibus legendis nescias, utrum argumenti grauitate, et acumine philosophico te cogi, an elegantia dictiōnis et vigore poetico in imaginibus rerum depingendis te abripi patiaris. In quibus sufficiat recentissime nomina Halleri, Käthneri,<sup>ff)</sup> Lichtwerti, Withoffi, Gellerti, Lesslingii,<sup>gg)</sup> Wielandi.

Sed

<sup>ee)</sup> Comparationem Lucretii cum recentioribus quibusdam poetis philosophicis v. in den Fragmenten über die n. deutsche Litteratur, 3te Samml. S. 206 ff.

<sup>ff)</sup> Vel propter argumentum suum proxime huc pertinet elegans Carmen Käthneri über den Nutzen der schönen Wissenschaften bey dem Vortrage philosophischer Lehren, quod vide in eiusdem vermischten Schriften. Th. I. 103 ff.

<sup>gg)</sup> Potest enim hoc referri ipsius Nathan der Weise, vt fieri voluit SYLVEAUS vid. allg. Theorie d. sch. K. in voce Lehrgedicht.

**aniso** Sed ex his satis iam vii nobis videtur, apparet, verum esse, quod ante posuerimus, nempe probe coniuoxisse philosophos nostros cum doctrina solidiori elegantiorum literarum studia. Nunc vero proprius accedamus ad causam nostram, atque iis, quae iam ex historia recentioris philosophiae, satis breuiter quidem pro copia eorum, quae adhuc addi possent, sed rationi temporis ac loci, et nostro consilio convenienter attulimus, causis, ad stabiliendam sententiam nostram utamur. Ostendendum igitur erit, quid emolumenti inde capere potuerit linguae vernaculae cultus, quem recentiorum, in philosophia tractanda studiis haud parum proficisse, diximus.

### §. IX.

Quando philosophi suae tantum cognitioni subtiliori et scholis suis inservire student, apparet, linguam haud quidquam utilitatis inde capere posse, nisi quod crebris exercitationibus instituendis apta sit ad usum loquendi, qui in scholis obtinet. Cuius rei causa ipsi segregant veluti ac sibi servant formulas loquendi et verba propria, quorum singularis et praecipuis est usus in pertractandis accurate et tenuiter disciplinis philosophicis, et quibus ad significandas notiones generales sive abstractas et ad notanda illarum discrimina subtiliora indigent. Inde vero enasci solet vultus ille alii cuius linguae philosophicus, quem supra laudauimus, qui vero caeteris hominibus parum liberalis esse videtur, vixque extra scholas fauorem sibi conciliare valet. Caret enim plerumque vigore, suavitate atque gratia distinctionis, quibus virtutibus non admodum student illi omnes, qui solo iudicio veri rem agunt, et in tenuitate, omni ornato nuda, ac summa breuitate quaerentes consilium suum, sensu nihil dari volunt. Immo vero interdum adeo depravatur natura linguae facilitas ac degenerat in *quidditates, haecceitates* et alia hominum scholasticorum monstra, quibus riguit olim superioris aetatis literata barbaries. Quando autem, apud ipsos philosophos, ad iudicium veri acutissimum accedit etiam elegancie in tradenda veritate, ac vividi coloris eiusdem in scribendi genere studium, tum nemo profecto negabit, linguam, quam tanto studio exercent philosophi, haud parum utilitatis inde capturam esse.

Iudicium pulchri id, in quo plurimi consentiunt (*der herrschende Geschmack*) et quod vario modo se exserit, cernitur etiam in his mutationibus

nibus, quae sere quotidie cadunt in linguis viuas. Tales enim obnoxias esse perpetuis mutationibus, omnium temporum historia satis luculenter docet, et, si indolem mentis humanae spectas, qua ferimur ad res nouas et inauditas, adeo necesse esse videtur, ut formulis loquendi quibusdam apud veteres satis visitatis, nouae substituantur, alia autem vocabula, rubigine antiquioris temporis infecta, iterum repetantur et poliantur. Etenim, in quibus olim gratia quaedam dictionis inerat, ea iam nimis vulgaria esse videntur. Contra remotioris aetatis voces hodie nouae et vel significati, vel elocutione pulchrae audiuntur. Quodsi quaeras, quibus rationibus nittatur iudicium de hac re, et, quae sint regulae illae, quas sequi soleant plurimi in his mutationibus vel suscipiendis vel admittendis, vtique saepissime intelliges, plurimos in tali causa sibi parum conscientes esse rationis alia cuius certae, sed coeco impetu ferri ad rerum nouarum studium, ac proinde fieri, vt alia tanquam obsoleta contempnantur, alia vero, recentiorum temporum commendatioue ornata, laudentur vocabula. Etenim, quae est temporis ratio, religionis ac reipublicae admiranda forma, et quaecunque aliae causae ad constitendum vitae et doctrinae genus, moresque alicuius populi formandos aliquid afferunt, ex iis simul pendet modulus, quem sequi solent plurimi in iudicio ferendo de eo, quod verum, bonum et pulchrum esse videtur, ac proinde etiam cultus linguae, quam si optimorum consensu vere conformari velis ad elegantiam, mores hominum primo emolliendi sunt atque colendi, quo ipsi ad verae perfectio-  
nis sensum adduci possint. Quid, et quantum autem in tali causa praecipiui cuiuscunque aetatis scriptores inter populares suos efficere posint, non est, vt argumentis demonstremus. Nam, quod in omnibus rebus humani fieri solet, vt plurima pars suo iudicio parum vti velint, sed lubentius sequuntur aliorum auctoritatem, eorum maxime, quos vel dignitatis gradu, vel doctrinae copia se ipsis praestantiores esse censem, illud etiam in hoc genere accidit, vt, si qui essent scriptores suae aetatis nobiliores, et, qui hominibus suis praeceteris probarentur, illorum testimoniois niterentur

etiam

tur

tur omnes, et, si indicare oporteret maxime de eo, quod eleganter i. e. nativae linguae rationi conuenienter dictum esset, ad auctoritatem ipsorum prouocarent, ne tamen omnino viderentur temere versari in sententia sua ferenda. Quodsi haec ita sunt, sane illi omnes, penes quos est quasi ius regendi multititudinis iudicium, permultum afferre possunt ad excitandum, alendum atque colendum verae elegantiae studium. Ac potest quidem haec prouincia lubenter illis demandari et tradī imperium in animos hominum literatorum, scriptoribus iis, qui praeter sensus obscurioris celeritatem et sagacitatem, quam vsu et exercitatione sibi compararunt, habent etiam notitiam certam eius, quod vel sensu vel elocutione pulchrum esse dicitur, quae rationibus nitatur et veniat ab examinando totius linguae ingenio. At soleni etiam saepissime illi ipsi, qui summam imperii in re publica literaria tenent, et, quos plerique omni suo studio colunt, scriptores, temporis sui rationem seruiliter sequi, et plurimorum vagis ac temeris opinionibus magis regi, quam certa perfectionis verae cognitione, cuius ipsi plane sunt expertes. Tum vero quid et quantum detrimenti afferant tales elegantiae in dicendo iudices atque cultores literarum amori ac politioris doctrinae studio, libris scriptis et institutione sua inter populares suos propagando, vix dici potest. Quaerentibus igitur eius rei consilium ali quod, quo, quantum id quidem fieri possit, caueatur huic periculo, et circumspectantibus, quales esse debeant ii scriptores, qui officio suo in hac causa optime satisfaciant, non potest melior ratio commendari, quam illa est, quae versatur in coniungenda doctrina elegantiori cum eruditione certiori et accuratori. Qui enim utramque sibi comparare student, illos putamus boni scriptoris munere optime fungi posse, eius, inquam, in quo non verendum sit, vt ne is vel doctae atque sublimioris rerum cognitionis, quomodounque demum propositae, speciem prae se ferat, omnes autem, orationis perfectiae ac cultioris virtutes negligat; vel etiam, prae nimio elegantiae atque euidentiae studio, aures et phantasiam lectorum audiens capiet, et imaginibus ac figuris patheticis obruat ipsorum intellectus,



etum, ne rerum cogitatarum desiderio teneantur, et inscitiam scriptoris  
connexaeque orationis vitia animaduertant. — Ex his igitur apparet  
quam laudabile sit consilium recentioris aetatis philosophicae in coniungen-  
dis cum ipsa philosophia arctius, quam id antea inter nostrates fieri sole-  
bat, literis elegantioribus, quo factum est, ut, partim fuscipienda illarum  
commendatione, partim etiam quaestionebus circa vim illam sentiendi et  
iudicandi pulchri, quae inest in animo humano, diligenter insituendis,  
exemplis denique elegantiae in scribendo ac differendo ab ipsis philosophis  
proponendis, iudicium plurimorum de eo, quod in oratione perfectum  
et pulchrum dici posset, accuratius regeretur, et ad veram elegantiam con-  
formaretur. Quodsi igitur est linguae nostrae vernaculae cultus quidam,  
quantuscunque ille demum sit, a recentiorum temporum studiis profectus,  
id, quod supra posuimus, eius causas sane non leuissimas queri posse in  
ratione proponendi philosophiam illa, quae iam inter nostrates obtineat,  
diximus, et, quantum in nobis est, etiam ostendimus.

**ULB Halle**  
003 061 345


3



S. b.

VD 18





DE  
**LINGVA GERMANICA**  
RECENTIORVM PHILOSOPHIAM TRACTANDI  
STVDIIS HAVD PARVM CVLTA

DISSERTATIO HISTORICO PHILOSOPHICA  
PARS POSTERIOR

Q V A M

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS AVCTORITATE

A. D. XXVI. IVN. A. R. S. CICLOCLXXXIX

HORIS POMERIDIANIS

DEFENDENT

PRAESES

IOANNES GEORGIVS CAROLVS  
KLOTZSCH

AA. LL. M.

ET

RESPONDENS

IOANNES FRIDERICVS VILELMVS TISCHER

AA. LL. M.

WITTEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRKII.